

TIO.
e sua Domi
iamque imp
as exerce
Perfusa e
Nunc em
tare depic
m.

fudii, ac v
to, ut m
qui non g
pene fo
oluntas e
pium scier

em MAXI
insuperq
ribit: Pa
Maxim
venit, ap
vi.
more: qui
MAXIMI
MANUM
in Hist. an

BALDUINI
ANNOTATIONES
IN
UTRAMQUE ORATIONEM.

FRAN.



FRANCISCUS BALDUINUS

G. LES-RATIO PRÆSIDI,

ET

P. ERODIO PROPÆTORI ANDEGAVENSI

JURISCONSULTIS S. D.



ùm relegerem PACATI, & EUMENII orationes, quas recudi jussi emendatas, ut sinè labe, quæ eorum lectionem inquinabat, illi offerantur, cui offerre contaminatas nefas esset, obiter, privatimque libro meo aspersi quasdam, ut occurrebant, annotatiunculas: sed eas suppressere instituebam: quia & in eâ, quam nuper, cum istic essem vobiscum, informavi, Relatione ad Principem, pleraque delibavi, quæ lectionem earum orationum commendarent: & vereor, ut ætatem hanc, professionemque minimè deceat, levioribus hujus generis scholiis, etsi hæc pro parergis habeam, operam dare, mallémque in Commentariis Juris nostri eam ponere. Neque verò moror, quod quidam occinunt istud: *In tenui labor, ac tenuis non gloria.*

Non

ANNOT

Non enim
tere soleo. S
qualemcunqu
ad vos eam re
auctores Relati
quitatis, human
ces esse scio, vi
tos non minùs,
res. Cæterum
ri juvat, partim
stipulantibus aliq
quo ex Germaniã
mò sum, toto jan
privatisque tumult
fragium fecisse, &
rum eripuerim, f
olim JULIUS CÆS
fingeret, in mare
fundamentum, alte
ne madefierent, at
ego eorum reliquiã
bulas rursus college
fluatu in quendam
deportatas, nondun
magistro sacre metr
ere deesse, quod f
luit: *Βελουδωνν*
incipiam: Omnia fe
Obiita nunc mihi to

(*) Bibliothecam vix

Non enim laureolam in mustaceo quærere soleo. Sed quia tamen nolulistis, hanc qualemcunquæ appendicem perire: ecce, ad vos eam refero, quos habeo & focios, & auctores Relationis illius nostræ, & hujus antiquitatis, humanitatisque idoneos quoque iudices esse scio, viros literarum elegantiam perpolitos non minus, quam juris intelligentiam præstantes. Cæterum duo sunt, quæ breviter præfari juvat, partim, ut me excusem, partim ut stipulantibus aliquid spondeam. Scitis me, ex quo ex Germaniam in Galliam reversus postremo sum, toto jam prope decennio publicis, privatisque tumultibus jactatum, toties & naufragium fecisse, & jacturam, ut si quid libellorum eripuerim, factum id sit, quemadmodum olim JULIUS CÆSAR in tumultu, cum ut hostes fugeret, in mare se coniecisset, ore trahens paludamentum, alterâ manu nabat, alterâ libellos, ne madefierent, attollebat. Scitis etiam, quas ego eorum reliquias, tanquam superstites tabulas rursus collegeram, nescio, quo fato, vel fluctu in quandam vallem sequanicam procul deportatas, nondum mihi redditas esse. An magistro sacræ memoriæ dicetis, nunquam debere deesse, quod Rhetor ille EUNAPIUS olim dixit: βιβλιοθήκην ἐμψυχον. (*) Ego verò excipiam: Omnia fert ætas, animum quoque. Oblita nunc mihi tot carmina. Sed agite: si
tamen

(*) Bibliothecam vivam.

tamen ad pristina studia juris, ad quæ me revocatis, postliminio redeundum sit, ita testor, ita affirmo: neque Academiæ, quam istic instauratis, deero, neque ad nomen non respondebo, citatus à vobis, si modò mei juris fuero. Audebo etiam bonâ cum spe præire, & signo altè sublato, si auspicia, quæ sequor, vobis auctoribus, non fallant, & quia nulla vel missio, vel vacatio datur emerito post tot annorum professionem, non opponam illud:

Non eadem est ætas, non mens, &c.

Solve senescentem &c.

Vobis potiùs obtemperabo laudantibus istud VESPASIANI: *Oportet Imperatorem stantem mori, & istud: Bos lassus fortius figit pedem.*

Agite ergo, si hoc fatale est, ut in hac arenâ confenscam, & immoriar: interea dum vos regitis judicia, quibus præestis, ego aliud regam Juris, & Legum auditorium: conjungatis modò auxilia, quæ poteritis, jubeatisque huic militiæ nomen dare *Batruvium* vestrum, juvenem dignum hujus conjurationis societate. Ego adjungam nostrum *Delbenium* adolescentem quoque generosum, atque eruditum, cujus & in emendandis Orationibus PACATI, atque EUMENII acutas aliquot conjecturas his legetis.

Valete! Lutetiæ Parisiorum, Idibus Aprilis.

IN

✠

IN PACATI

PACATUS ha
laudando
Maximo

Poëta CLAUDIAN

versibus, quos

Vellem verò, eti

nondum Episcopo

ricum scriptum fu

positum post victo

in eoque maximè

oratione plus, q

quidem inprimis

Libro V. de Civit

extant ipsius PAUL

SULPITIUM SEVERU

non tam Imperator

non dominandi supe

landi potentem, nec

predicarem. Adda

monium, qui in c

Epistolâ, Librum

Theodosio Principe

sum transmissisti, l

us, qui à tali Chri

stifi purpuram ejus

in sæculis consecrasti

Epistolis nondum e

IN PACATI PANEGYRICUM.

PACATUS hac suâ Panegyricâ oratione in laudando THEODOSIO, & vituperando *Maximo* facit, quod eodem tempore Poëta CLAUDIANUS similiter faciebat exquisitis versibus, quos etiam appellat Panegyres. Vellem verò, etiam extaret, quem à PAULINO nondum Episcopo GENNADIUS scribit Panegyricum scriptum fuisse ad Imperatorem THEODOSIUM post victoriam, ut ait, de tyrannis, in eoque maximè, ut inquit, quod fide, & oratione plus, quàm armis vicerit. Quod quidem inprimis etiam prædicat AUGUSTINUS *Libro V. de Civitate Dei, Capite 26.* Sed & extant ipsius PAULINI verba *in Epistolâ IX. ad Sulpitium Severum:* ut (inquit) *in Theodosio non tam Imperatorem, quàm Christi servum, non dominandi superbiâ, sed humanitate famulandi potentem, nec regno, sed fide Principem &c. prædicarem.* Addam & ipsius HIERONYMI testimonium, qui in quâdam ad hunc PAULINUM Epistolâ, *Librum tuum, inquit, quem pro Theodosio Principe prudenter, ornatèque compositum transmisisti, lubenter legi: Felix Theodosius, qui à tali Christi oratore defenditur. Illustrasti purpuram ejus, & utilitatem legum futuris sæculis consecrasti.* Denique & ex SYMMACHI Epistolis nondum editis fragmentum citatur,

L

in

in quo SYMMACHUS ille ait, se civiles, & bellicas laudes THEODOSII descripsisse, & leges ejus, bonis pacis admiscuisse. Nescio, an non & ipse AUGUSTINUS, qui Rhetor erat Mediolanensis, cùm THEODOSIUS vicit *Maximum*, de hac victoriâ declamarit. Certè *Libro III. contra Petilianum Capite 25.* testatur se se *Charthaginem* reversum non esse, nisi post mortem *Maximi*, & *Bautoni* Consuli Kalendis Januarii pro suâ Rhetoricâ professione Mediolani recitasse. Cùm PACATUS ordiatur abs die, quo THEODOSIUS Imperio est inauguratus, & quem propterea vocat auspiciem publicæ felicitatis, & tribus eum locis celebret, nec tamen, quisnam ille fuerit, alioqui exprimat, quærenti de eo respondebo, quod ex *historiâ Tripert. libro decimo nono, Capite quarto*, & ex veteri Chronico MARCELLINI *Comitis* didici, fuisse decimum sextum diem Januarii *Ausonio*, & *Olybrio* *Coss.* hoc est, anno CHRISTI CCCLXXIX. Eum ergo diem imprimis vult PACATUS, ut faustum, & felicem observari: sicuti olim faustissimus orbi terrarum illuxisse judicatus est decimus tertius dies ejusdem mensis Januarii, quo die OCTAVIUS CÆSAR appellatus à Senatu est *Augustus*: rursus autem ater meritò dictus est, fuitque decimus septimus dies ejusdem Januarii, quo die THEODOSIUM mortuum esse constat.

Quod PACATUS paulò post ait: *Nam & divinis rebus operantes in eam cæli plagam ora*

607-

convertimus,
morem, qu
Pagani uteba
vulgò diceba
adv. gentes
adorare, quo
precari. Sed
aliquando &
bia vibratis.

Paulò post
tum vulgus, re
aleu, jam mul
dicat. Et Men
gebatur Mevan
graphos: hui
Franciscus Mo

Quod P.
quem AURELIUS
Theodosium voc
CELLINUS Libro
Panegyris in ter
peratoris Honor
bit. Quod aut
tum erat Vacali
CORNELIUS TAC
vocatam fuisse
influentis ostium
sæ esse dicitur.
bus notum est
Dordrachum,

(*) Cap. XVI.

convertimus, à quâ lucis exordium est, indicat morem, quo Christiani non minus, quàm Pagani utebantur. Unde & Solem adorare vulgò dicebantur. TERTULLIANUS in Apolog. adv. gentes () Suspicio est, inquit, solem nos adorare, quod innotuerit ad Orientis regionem precari. Sed & plerique vestrum in affectatione aliquando & caelestia adorandi ad solis ortum labia vibratis.*

Paulò post, ubi mendosè legebatur *placatum vulgus*, rectè emendatum esse *pacatum ulcus*, jam multi observarunt, & res ipsa indicat. Et *Menavia* legi debere, ubi antea legebatur *Mevania*, sciunt, qui legerunt *Geographos*: hujusque rei me etiam admonuit *Franciscus Moncaeus*, sororis meæ filius.

Quod *PACATUS* de *THEODOSIO* patre, quem *AURELIUS VICTOR* *Honorium*, alii veriùs *Theodosium* vocant, indicat *AMMIANUS MARCELLINUS* *Libro vigesimo nono*, & *CLAUDIANI* *Panegyris* in tertio, & quarto *Consulatu Imperatoris HONORII* magis, atque magis illustrabit. Quod autem mendosè in *PACATO* scriptum erat *Vacalis* correxi: *Vabalis*. Sic enim *CORNELIUS TACITUS* *Libro II. Cap. 6.* testatur, vocatum fuisse alterum *Rheni* in *Oceanum* influentis ostium, sive cornu, quod alias *Mosæ* esse dicitur. Et nostris quoque temporibus notum est utriusque fluminis nomen ad *Dordrachum*, *Bataviæ* oppidum: cui, cùm

(*) *Cap. XVI.*

id anno 1549. ingrederetur PHILIPPUS Hispaniæ Rex, præfixum fuit Epigramma, quod incipiebat: *Me Mosa, & Vaalis.*

Quod PACATUS secutus, ut opinor, illud veteris Poëtæ:

Gratior est pulchro veniens ex corpore virtus.

vel etiam, quod olim Persæ in Rege deligendo dicuntur observasse, qui egregiam formam corporis in eo imprimis requirebant, ait, ut THEODOSII quoque formam commendet, *animum venturum in corpus dignum prius metari hospitium &c.*, videtur omnino sumpsisse ex EUMENII popularis sui Panegyrico ad Imperatorem CONSTANTINUM, ubi similiter legimus, non frustra doctissimos viros dixisse, naturam ipsam magnis mentibus digna corporum domicilia metari. TERTULLIANUS (*) non dissimili in re utitur metatoris verbo; de quo etiam aliquid dixi ad OPTATUM (**) nam & verbum juris est. Illud hoc loco annotandum est, quod *Delbenius* noster adolescens eruditus, & acutus familiariter mihi suggererat, locum hunc PACATI, ubi de patre, & formâ THEODOSII agitur, qui antea valde corruptus erat, sic emendari posse, *ejus esse filium, quem Principem esse decuerit*: quia PACATUS videatur laudare patris quoque formam dignam Imperio, & Regiam formam pro pulchra dici à

PLAU-

(*) *Adversus Marcionem Lib. I. Cap. 8.*

(**) *In Annotationibus in Librum tertium pag. 61.*

PLAUTO, & JUSTINO. Sed & placuit, quod paulò post *numera numeros* repositam est, *numeros numerum*. Quid autem numeri dicantur in castris, porro non est ignotum. Sed infinitum fuerit indicare omnes locos in hac editione emendatos. Illud semel dictum esto: Si hæc cum Germanicâ BEATI RHENANI editione conferatur, tametsi alio exemplari destituti solis conjecturis usi simus, nostram centum locis saltem operam non inanem fuisse, Lector animadvertet.

Quam deinde PACATUS vocat Comitiam legem, intelligo legem, quæ Annalis dicitur, lata à L. Vellio annali Tribuno, quæ annos definiebat, quibus quis quemque Magistratum in comitiis petere posset: de quâ legendus est CICERO *Philippide V. Cap. 17.* sed quod attinet ad ætatem THEODOSII de quâ hic agitur, constat ex historiâ, eum triginta quinque annorum fuisse, cum Orientis primum Imperator creatus est. Quæ tamen ætas ab ætate Consulari, si legem annalem spectes, multum etiamnum aberat: Consularis enim erat annorum XLIII.

Ad ea, quæ PACATUS scribit de THEODOSII ante Imperium vitâ privatâ, adjiciatur, quod AMMIANUS MARCELLINUS narrat *Libro vigesimo nono*; sed & quod AMBROSIIUS: qui in oratione funebri, portavit, inquit, jugum grave Theodosius à juventute, quando insidiabantur ejus saluti, qui Patrem ejus Triumphatorem occiderant.

Ubi antea legebatur: *Moribus Augustus ornâret*, emendatum est *moribus* ex conjecturâ Schiffeti Sequani adolescentis eruditi. Sic HORATIUS (*) ad AUGUSTUM: *Moribus ornes, legibus emendes.*

Paulò post ubi legebatur *sestertium millies*, JUNIUS in suis *Miscellaneis* jam pridem emendavit, *sestertiis mille.* Vidit enim priorem summam prope esse infinitam, ut quæ vices quinquies centena millia coronatorum aureorum significaret. Alteram verò magis convenire, quæ non nisi eorum millibus viginti quinque æstimatur. Cujus generis æstimationisque fercula singula si sex in convivio, de quo PACATUS agit, fuisse dixerò, rectè adjiciam hìc notari illud Imperatoris VERI ANTONINI prandium, quod CAPITOLINUS significat æstimatum esse sestertium sexagesies. Sanè PACATUS in laudandâ THEODOSII sobriâ frugalitate, & superiorum quorundam Principum luxu accusando videtur MAMERTINI Panegyricum ad Imperatorem JULIANUM imitari.

Quod attingit de Gothis à THEODOSIO subactis, satis supérque est ab aliis Scriptoribus olim decantatum. Sed quod addit de Persis, unus CLAUDIANUS illustrat in priori suâ Panegyri *de laudibus Stiliconis*, & in alterâ *de sexto Consulatu Honorii.*

Quod

(*) *Lib. II. Epist. 1. v. 2.*

Quod scri
 effi ferri utcu
 cianius esse vil
 salum, & Pon
 Prætores ut æ
 sic & comes f
 Cum lust
 quinque anno
 in Gallia per
 GRATIANO. N
 & leges tulerit,
 miserit, ut vind
 ait AMBROSIVS Ep
 que de controver
 Episcopus audier
 damnârit, supp
 SEVERUS SULTI
 tam Jurisdiction
 tio habet. Nar
 lis, que sub 2
 Omne Judicium,
 injuria, non jura
 mus Tyrannorum
 rabilimus. Nullus
 dicio blandiatur.
 MERTINI ad Impe
 mæsti deforme j
 SIDONII APOLLIN
 Quod paulò p
 de Italo & Hispan
 Hic tyrannicidium
 dem hic non vidit

Quod scriptum erat *petitorum comitate*, etsi ferri utcunque poterat, attamen multò concinnius esse visum est *Prætorum*: quia & Consulium, & Pontificum mentio hîc facta est: & Prætores ut æqui & boni arbitros benignos, sic & comes fuisse constat.

Cum *lustrale justitium* dicit, notat illos quinque annos, quibus *Maximus Tyrannus* in Galliâ per vim, sinè jure regnavit, cæso GRATIANO. Nam etsi interea jus dixerit: imò & leges tulerit, atque etiam Edicta Romam miserit, ut vindex publicæ disciplinæ, sicut ait AMBROSIVS *Epistolâ vigesimâ nonâ*, & denique de controversiis Ecclesiasticis in Synodo Episcopus audierit, & hæreticos Priscillianistas damnârit, suppliciôque capitali affecerit, ut SEVERUS Sulpitius recitat: tamen PACATUS totam Jurisdictionem *Maximi* pro quodam justitio habet. Nam & in *L. Cod. Th. de infirm. bis, quæ sub Tyr.* THEODOSIVS ita loquitur: *Omne Judicium, quod vafrâ mente conceptum, injuria, non jura reddendo Maximus infandissimus Tyrannorum credidit promulgandum, damnabimus. Nullus igitur sibi lege ejus, nullus judicio blandiatur.* Aliud est in Panegyrico MAMERTINI ad Imperatorem JULIANUM, temporis mæsti deforme justitium. Aliud in Epistolis SIDONII APOLLINARIS, Gallicanum justitium.

Quod paulò post legebatur apud PACATUM de Italo & Hispano, *Tyrannidem ille non vidit: Hic tyrannicidium vidit: emendavi: Tyrannidem hic non vidit: ille Tyrannicidium vidit.*

Sentit enim Hispaniam non vidisse Tyrannidem *Maximi*, Italiam verò vidisse cædem hujus *Maximi*.

Paulò post ubi fit mentio infantium sub ipso sectore ludentium, agnosco *sectoris* verbum vetus, pro eo, qui in universum à Fisco emit, aut nomine Fisci vendit, aut suo, si jam emisset res publicas damnatorum: ùt & paulò post ait PACATUS, *optabamus subire sectorem, ut possemus effugere carnificem*. Mirum verò, si & infantes ipsos Fiscus occupabat, quos venderet. Credidero potius bona, quæ alióqui infantibus, legitimis hæredibus, debebantur. Facio autem non invitus, ut de hoc verbo adjiciam, quod FESTUS, *Sectio*, inquit, *persecutio juris est*. Eam, qui exercet, Sector dicitur, quod spem lucri sui secutus, bona condemnati semel auctionabatur: próque iis pecunias pensitabat singulis, quibus reus attineretur, ùt ASCONIUS ait.

Quod paulò post ait, *bona nostra ad æarium unâ & perpetuâ viâ ibant*, eleganter significare videtur, nullam spem eorum recuperandorum fuisse, quæ semel Fiscus occupaverat. Estque locutio non dissimilis formulæ illius imprecationis, quâ alicui, ne rediret unquam, malè precabantur, unam viam, & perpetuam esse. CICERO in *Pison*. ejus meminit. Meminit & pseudo PLAUTI Querolus. Ut autem & hoc PACATI loco quippiam hujus generis observarem, atque notarem, admonuit me *Fornierius*, vir doctissimus,

amicus

(*) Cap. 44.
(**) Cap. 14.

amicus & collega optimus. Prætereo, quam postea emendationem necessariam fuisse lector facile sentiet, ubi pro *exuissent* reposui *evuissent*; & pro *animam* jussi imprimi *Animum*. Sed putidum est, ambitiosè ostentare suam in re tam exili diligentiam. Sed etsi non moneam, studiosus facile observabit, ubi ait PACATUS *Tyranni stylum, & gladium timevi*, verbum quoque hoc juris esse, cum & in *l. si quis C. de bonorum proscriptione* legamus *stylum proscriptionis*. Et CICERO pro *Cluentio* (*) *stylum Censorium, gladiumque Dictatorium* nominat. Et SENECA *Libro primo de Clement.* (**) *Decretorium stylum*. Sed non negligam, quod paulò post PACATUS scribit de *Merobaude, & Vallione*: quod quidem partim ab historiâ illustratur, partim eam illustrat. *Merobaudes* consul erat, quo anno cæsus est GRATIANUS: eoque Consule editæ sunt multæ Leges, quæ etiamnum extant in Codice Constitutionum. Ergo *Merobaudem* *Trabeatum* vocat PACATUS, eique purpuras consulares tribuit. Sed cum restetur, eum, quia GRATIANUM defenderat, à *Maximo* ad mortem adactum esse, valde miror, quod PROSPER in suo Chronico annotat, *Merobaudis* Magistri militum proditione victum, cæsumque GRATIANUM fuisse. Sanè RUFINUS in suâ appendice historiæ Ecclesiasticæ ait, GRATIANUM à *Maximo* per *Andragathium* Ducem peremptum esse, sed suorum magis proditione,

L 5

ditione,

(*) Cap. 44.

(**) Cap. 14.

ditione, quàm vi hostium. Cæterùm quod de *Vallione* (AMBROSIUS *Balionem* appellat) scribit PACATUS, explicatur ab AMBROSIO in *Epistolâ decimâ septimâ*, ubi narrat, se se *Maximo* exprobrasse, quod talem, tantùmque virum occidisset. *At quem* (inquit) *virum? Qualem bellatorem? Hæccine fuit justa causa exitii, quòd Imperatori suo fidem servavit? Quis sibi parcendum putaret, cum occisus sit bellator strenuus, miles fidelis, comes utilis?* Addit eodem loco AMBROSIVS, *Maximum* de *Bautone* quasi de altero *Balione*, idem decernere voluisse. *Bauto* Consul fuerat septimo anno Imperii Theodosiani, eique Consuli Kalendis Januarii pro suâ Rhetoricâ professione Mediolani se recitasse scribit AUGUSTINUS *Libro tertio contra Petil. capite vigesimo quinto.*

Cùm lego, quod PACATUS eadem paginâ scribit de quadam matronâ, quam Religionis ream *Maximus* iusserit supplicio affici, venit in mentem, quod SULPITIUS SEVERUS inter *Priscilliani* Heresiarchæ turpissimi sectatores, quos à *Maximo* necatos esse narrat, nominat quandam *Eutrochiam*, & PROSPER in Chronico, cùm eam propter erroris *Priscilliani* consortium, à *Maximo* damnatam, & gladio necatam fuisse admonet, ait fuisse uxorem *Delphidii* Rhetoris. Ejus *Delphidii* meminit etiam AUSONIUS in libello de *Professoribus*. Itaque cum apud PACATUM legeretur, *Clarinatis matrona*, suspicatus sum melius legi,
clari

A
ari vatis
Priscillian
ob impie
extinctan
Nescio,
ricè, cùn
nere exp
mulat m
Sicuti &
partes sec
tes, re ips
eum id lege
sum id die
quod Sulp
Hispanum
cillianistar
ximi, cùn
qui aderat
rem, com
pertinere,
mâ septimâ
mum venisse
cum Episco
cèt à fide a
PER in Chro
paulò post
se, quia, et
sequeretur,
in Confistor
Quod
pacis iussit

clari vatis. Addit autem PROSPER & alteram *Priscilliani* discipulam, urbicam, Burdegalæ, ob impietatis, ut ait, pertinaciam lapidibus extinctam esse, sed per vulgi seditionem. Nescio, an PACATUS non agat nimium rhetoricè, cum odiosè quærens, quod in hoc genere exprobret *Maximo*, supprimit, & dissimulat multa, quæ historia bonâ fide narrat. Sicuti & cum invehitur in eos, quos *Maximi* partes secutos ait, nominibus quidem Antistites, re ipsâ verò carnifices esse. Equidem cum id legerem, substiti, & diu cogitavi, quorsum id diceret: tandem venit in mentem, quod Sulpitius narrat, *Itachium* Episcopum Hispanum, capitalem fuisse accusatorem *Priscillianistarum* in Palatio, Consistoriôque *Maximi*, cum *Martinus* Turonensis Episcopus, qui aderat, ita agi nollet, id autem cum legerem, commodè rursus venit in mentem, huc pertinere, quod *Ambrosius* in *Epistolâ vigesimâ septimâ* narrans, se se Treviros ad *Maximum* venisse, ait, se se noluisse communicare cum Episcopis, qui, ut ait, alios, devios licet à fide ad necem petebant. Sed & *Prosper* in *Chronico* suo annotat, *Itachium* illum paulò post in Ecclesiâ excommunicatum fuisse, quia, etsi Hæresiarcham turpissimum persequeretur, tamen novo exemplo Episcopus, in Consistorio Regis, sanguinem peteret.

Quod PACATUS ait, *Maximum* sub nomine pacis lusisse, suggerit mihi, quod *Ambrosius*

â *Maximo* reversus scribens ad VALENTIANUM, Relationem suam ita concludit: *Vale Imperator, & esto tutior adversus hominem involuere pacis bellum tegentem.* Sane NONIUS MARCELUS (*), ubi dixit *involvere* esse *implicare*, allegat ex CICERONIS ad CÆSAREM Juniorem Libro primo istud: *videbam nomine pacis bellum involutum fore.*

Paulò post ubi apud PACATUM legebatur, *servatæ adhuc veniæ fidem, Puteanus, & Delbenius* emendant *finem.* Sed alter retinet *veniæ*, alter substituit *vita.* Certe PACATUS dicere & significare vult, THEODOSIUM non potuisse diutiùs parcere, vel ignoscere *Maximo*, eumque servare.

Quod deinde scriptum erat, *testis est Fiscia*, diu me torfit, sed tandem ut mendosum locum esse agnoscerem, & mendum tollerem, fecit quidam quem tamen & ipsum mendo non carere suspicor, AMBROSI locus in *Epistolâ vigesimâ nonâ*, ubi lego victum aliquando â Francis, & gente Saxonum fuisse *Maximum* in Sicilia, Siciæ, & Petavione. Ut autem ibi pro *Siciæ* fensî legendum esse *Siscia*, sic & hoc loco pro *Fiscia* lego *Siscia*. Est enim *Siscia* nobilis urbs Pannoniæ ad Savum fluvium, & segesticam ejus insulam, quâ ex Pannoniâ itur in Italiam. Meminit hujus *Siscia* STRABO *Libro quinto & septimo*, & ipse quoque PRUDENTIUS agens de QUIRINI martyrio.

(*) De var. signif. serm. voc. *involvere*.

Neque p
zorem in Ault
quod additur c
uplicatum, &
proximo verbe
n suis Bojorum
at circa Siscian
mus, sic & ante
cis Rhenum tran
Rhenano, qui d
quis meminit? Il
servo, Francos
vero Imperatori r
mo Tyranno p
Antistites sequeba
xus Libro septim
Franci, quamvi
tini fuissent, ta
versus Licinium
ante tempora C
ultoria Romanâ t
dicuntur adversus
cirum defendisse Pe
tâ tyrannidem arrip
Redeo ad Pac
scitur de Alpihus C
doctos controverti
rum, judicam bor
(*) In Editione AV
INGIUS MCCX c
non est.

rio. Neque procul abest urbs Petavio: quam urbem in Austra nunc vocant Passavium. Sed quod additur de *Sicilia*, vereor, ne mendosè duplicatum, & repetitum, & confictum sit ex proximo verbo *Siscia*. AVENTINUS (*) tamen in suis Bojorum annalibus confidenter narrat, ut circa Sisciam à Saxonibus victus est *Maximus*, sic & antea circa Moguntiacum à Francis Rhenum transgressis, victum fuisse in pago Rhenano, qui dicitur Siciliae. Sed hujus vici quis meminit? Illud modò ex AMBROSIO observo, Francos Germanos, VALENTINIANO vero Imperatori militasse potius, quàm *Maximo* Tyranno perduelli, quem tamen Galli Antistites sequebantur, ut & observat SOZOMENUS *Libro septimo, capite decimo tertio*. Sic & Franci, quamvis antea hostes ipsius CONSTANTINI fuissent, tamen CONSTANTINI castra adversus *Licinium* tyrannum secuti sunt. Sed ante tempora CONSTANTINI, ubi primùm in historiâ Romanâ fuit mentio Francorum, hi dicuntur adversus Imperatoris GALLIENI exercitum defendisse *Posthumum* illum, qui in Gallia tyrannidem arripuerat.

Redeo ad PACATUM, apud quem quod dicitur de Alpibus Cotticis, audio etiam inter doctos controverti. Sed interpretem, arbitrum, judicem bonum do MARCELLINUM, qui

Libro

(*) In Editione AVENTINI, quam GUNDLINGIUS MCCX curavit, hic locus reperendus non est.

Libro decimo quinto: Alpes, inquit, Cottias Rex Cottius, perdomitis Gallis, solus in angustiis latens, in viaque locorum asperitate confusus, lenito tandem timore, in amicitiam Octaviani Principis receptus, molibus magnis extruxit. In his, quarum initium à Segusione oppido est, præcelsum erigitur jugum, nulli ferè sinè discrimine penetrabile &c.

Jam si redeundum est ad indicem emendationum in PACATO, ecce ubi legebatur *gloriano fugere ex conjecturâ Puteani, & Delbenii nostri emendatum est glomerando*. Sicuti & paulò ante locutus est PACATUS, per *abrupta glomerantur*. Sed & paulò post, ubi antea impressum erat: *populi tibi imminere, feliciter & acutè Puteanus emendavit: poplitibus imminere, ut postea pro modicos Liberi triumphos, rectè legit Indicos*. Sed & paulò antè, ubi legebatur: *ne vultus olim tuus, rectè Delbenius noster admonuit legendum: cultus*.

Talium emendationum Auctores obiter nomino, ut eorum acumen laudem. Sed & paulò post ex BEATI RHENANI conjecturâ passus sum legi *Narona*: Nam & ejus urbis in Illyrico mentionem facit PLINIUS: & in Illyrico victum aliquando fuisse *Maximum* scio. Sed tamen nondum illa RHENANI emendatio mihi satisfacit. Audio tamen PETRUM FABRUM Tholasanum Jurisconsultum *ad L. 2. de origine Juris.*, de illa RHENANI emendatione minimè dubitare, & hunc PACATI locum de Naronen-

sium

sim occurfu,
virentibus fert
non diffimili
CONSTANTINUS
vigefimo primo
diente. Sed &
natores esse D
niveas vestes,
dapat; uai leura
Narona me du
postremo victum
narrat PACATUS,

Sed opere p
præterea AUSONI
leja cecinit in lib

Itala ad Illyria
Membus, & p
Eminet, extr
Solveret exacto
Maximus, arm
Felix, qua tar
Punifi Ausonio

Armigerum lixam
statarium: Rutupi
significare vult.
regebat, in qua ur
dinum fuisse, test
MARCELLINUS Libro

(*) Vestes puras, &

sum occurſu, & gratulatione, portas etiam virentibus fertis coronantium, conferre cum non diſſimili loco Panegyrico Flaviensium ad CONSTANTINUM, & altero MARCELLINI *Libro vigesimo primo* de JULIANO, Bonnoniam ingrediente. Sed & qui hinc dicuntur à PACATO Senatores esse Decuriones, & quas earum vocat niveas vestes, dici à PLUTARCHO ἐσθήτας καθάρους καὶ λευκάς. (*) Jam verò etsi fatear de Narronâ me dubitare, tamen de Aquileâ, ubi postremò victum, cæsúmque fuisse *Maximum* narrat PACATUS, dubium non est.

Sed operæ pretium est audire, ecquid præterea AUSONIUS, PACATI æqualis de Aquilejâ cecinit in *libello de claris Urbibus*.

*Itala ad Illyricos objecta Colonia montes
Mœnibus, & portu celeberrima: sed magis illud
Eminet, extremo quod te sub tempore legit,
Solveret exacto cui seva piacula lustro
Maximus, armigeri quondam sub nomine lixæ
Felix, quæ tanti spectatrix læta triumphi
Punisti Ausonio Rutupinum Marte latronem.*

Armigerum lixam vocat, ut PACATUS lixam statarium: Rutupinum dicit, cum Britannum significare vult. *Maximus* enim Britanniam regebat, in quâ urbem Rutupias prope Londinum fuisse, testis quoque est AMMIANUS MARCELLINUS *Libro vigesimo*. Latronem vocat, quia

(*) Vestes puras, & albas.

quia tyrannus perduellis erat, non hostis legitimus. Sic paulò ante dixit, eum attollere vexillum *latrocinii civilis* potiùs, quàm belli. Sic & NAZARIUS in Panegyrico ad CONSTANTINUM vocat latrocinium civile. Et latrocinium Batavicæ rebellionis vocat EUMENIUS. Et in altero ejusdem temporis ad Imperatorem Maximianum Panegyrico, qui incipit: *si mihi Caesar*, legimus nefarium & indignissimum latrocinium belli. Denique in *L. ult. C. Th. de Bon. proscript.* vocatur latro nefarius, qui perduellis est. Sic Jurisconsulti responderunt, hostes esse, qui nobis, aut quibus nos bellum indiximus: cæteros esse latrones, atque prædones, qui jus belli non habent. *L. 118. π. de verb. signif. L. 24. de Cap. & postlim. revers.* VORISCUS in *Firmitate* scribit, magnos Principes, qui necaverunt invadentes purpuras, eos appellasse latrones potiùs, quàm Tyrannos. Prætereo multa, quæ in descriptione prælii, contra *Maximum* sumpta esse à PACATO ex NAZARII Panegyrico ad CONSTANTINUM devicto *Maxentio* semel admonuisse sit satis.

Sed ubi PACATUS deinde laudat clementiam victoris THEODOSII, tamen non repletam, quod de eâ præterea dixi in *Relatione ad Principem*, tamen juvat annotare, quo anno post victum *Maximum* THEODOSIUS clementiæ, quam hic prædicat PACATUS, exemplum admirabile dedit, eodem paulò post anno, cum horribilis sævitæ in populum The-

falo-

Thronicensem,
 exemplum edicti
 ro, & in Eccle
 propterea publi
 mæ gloriose tri
 ad lenitatem se
 priori Græcâ hi
 Eugenium victu
 sui publicâ pœn
 tions pro Eugen
 emendationem. I
 prioris significat
 polim reversum e
 lani mortuum esse
 neque tunc Conf
 Itaque etiam rep
 ait, post bellum
 necdum confect
 & pœnitentiam I
 qui bellum illud
 lo intervallo inter
 potiùs sequor, cui
 in Epistola vigesim
 quens de ejus pœ
 felicissimè egisti. N
 preter contra Got
 mum.

Ubi PACATUS
 nitatem fuisse im
 que non à Maximo
 TIANO, aut VALENT

salonicensem, præcipiti quâdam iracundiâ, exemplum edidisset, castigatum esse ab AMBROSIO, & in Ecclesiâ Mediolanensi pœnitentiam propterea publicam egisse, qui paulò antè Romæ gloriosè triumpharat, cùm, cæso *Maximo*, ad lenitatem se se revocasset. Cùm in NICEPHORI Græcâ historiâ scriptum legeretur, post *Eugenium* victum accidisse, quod de THEODOSII publicâ pœnitentiâ narratur, Interpretes Latinus pro *Eugenio* supponit *Maximum*. Laudo emendationem. Nam & paulò post ipse NICEPHORUS significat, THEODOSIUM Constantinopolim reversum esse. Constat autem, Mediolani mortuum esse post *Eugenium* debellatum, neque tunc Constantinopolim esse reversum. Itaque etiam repudio, quod ZONARAS confusè ait, post bellum contra *Eugenium* inchoatum, necdum confectum, cædem Thessalonicensem, & pœnitentiam Mediolanensem accidisse. Atqui bellum illud statim confectum, neque ullo intervallo interruptum fuit. RUFINUM ergo potius sequor, cui & AMBROSIUM adjicio, quî in *Epistola vigesima nona* ad THEODOSIUM loquens de ejus pœnitentiâ, *in præliis*, inquit, *felicissimè egisti*. Nam istud, *in præliis*, interpretor contra Gothos, & deinde contra *Maximum*.

Ubi PACATUS ait, nullius præteritam dignitatem fuisse imminutam, dicit *præteritam*, quæ non à *Maximo*, sed ante *Maximum* à GRATIANO, aut VALENTINIANO patre collata fuerit.

M

Nam

Nam quam contulerat *Maximus*, constat imminutam, & abrogatam fuisse, cum & reliqua *Maximi* acta rescissa sint, sicuti reliquorum tyrannorum. Quod facile intelligitur ex *Codice Theod. de rescindendis his, quæ sub Tyrannis gesta sunt*: ubi & recitantur quædam **THEODOSII** leges, quæ huc omnino pertinent. Prior est ad *Trifolium* P. P. his verbis: *Nullus sibi honorem audeat vindicare, quem tyrannica concessit audacia: sed ad pristinum statum damnata præsumptio revocetur. Datum Aquilejæ decima Kalendas Octob. Theodosio Augusto secundo, & Cynegio Consule.* Hic ego observo, eo anno, iisque Consulibus, victum *Maximum* prope Aquilejam fuisse sextâ Kalendas Septemb. Ergo uno post mense, eodem loco edita est lex, quam recitavi. Altera eodem anno, aliquot post diebus, edita Mediolani iudicia abs *Maximo* promulgata damnat. Tertia Mediolani quoque edita decimâ nonâ Kalendas Februar. *Timasio, & Promoto* Consulibus, hoc est, anno proximè sequenti, multò magis id inculeat. Addo quartam, quæ est ipsius **HONORII**, atque eos, qui tyranni *Maximi* secuti iussionem, fundos perpetui juris, non ab ordinariis iudicibus, sed à Rationalibus acceperunt, eorum amissione plectendos esse: talesque fundos ad rem privatam denuò revocari. *L. 10. Cod. Th. illo titulo.* Dicitur ea lex data Mediolani sextâ Kalendas Maji, *Olybrio, & Probino* Consulibus, hoc est, paulò post **THEODOSII** mortem annis post victum *Maximum* septem,

septem, vel octo. Cùm autem fundos privati juris, & rem privatam vocat, fiscalem significari non ignorant, qui in Codice Constitutionum versati sunt. Non est prætereunda Lex Imperatoris ZENONIS, l. 15. C. de sacros. Eccles., quæ cùm edicit, rescindenda esse, quæ tempore tyrannidis contra venerabiles Ecclesias innovata sunt, significat acta *Basilisci Tyranni* esse rescindenda, & Pseudo-Episcopos, quos ille intruserat, esse ejiciendos. Sed præpiùs ad id, quod PACATUS laudat, accedit altera ejusdem HONORII constitutio, ut dignitates per *Eugenium* collatæ aboleantur, priùs habitæ confirmentur; iis, qui Tyranno servierunt, venia detur. Verùm etsi id similiter edixisset ARCADIVS paulò post THEODOSII mortem, tamen postea coacti sunt hi Principes agere severiùs de perduellium eoërcitione. Unde nata est *L. quisquis C. ad leg. juliam Majestatis*. Quidam in scholâ Biturigum hisce diebus eam editam esse scripsit, cùm vix annus à morte THEODOSII præteriiisset, & recens esset memoria Gildonianæ factionis. Atqui hoc est ignorare principia historiæ Arcadianæ. Ipsa Consulum subscriptio indicat, latam esse tertio post mortem THEODOSII anno: necdum tunc nata erat factio Gildoniana, sed Rufiniana jam erat repressa. Ergo cùm illam Legem in auditorio interpretarer, dixi, cum *Rufinus* ex tutore factus hostis ARCADII, & proditor, sollicitatis Barbaris, cum quibus conjurârat, conatus esset, dejecto ARCADIO, tyrannidem occu-

pare paulò post mortem THEODOSII, oppressum quidem in eo suo conatu fuisse; sed cum metuerentur alii *Rufini*, oppositum esse terrorem hujus Constitutionis. Etsi autem ante annos septem editus sit à quodam Commentarius meus *ad leges Majestatis* (*), tamen quia diligentius juvat exponere Arcadianam illam Constitutionem, de quâ jam tam periculosè, & imperitè multi agunt, non recusabo statim, atque plus otii nactus fuero, edere scriptam interpretationem, quam publicè in auditorio vivâ voce feci. Interea, ut facilè patior, illum quondam meum (sic enim se aliquando inscripsit) discipulum, suppresso meo nomine, ex nostris Commentariis decerpere, quod vult, sic miror, tam curiosè aliquid quærere, in quo me nominatim nollet, neque jam aliud reperisse, quàm ut fingeret, me docere illam ARCADII legem in *Codice Theodosiano* non extare. Atqui etiam profiteor, & in libros Βασιλικῶν, (**), & ab Hispaniæ Rege ALPHONSO in suas *Partitas*, & ab Imperatore CAROLO IV. in *Auream*, ut vocatur, *Bullam* esse relatam. Expunctam tamen esse paulò ante tempora nostri JUSTINIANI in Gothico *Codice Theodosiani*, ut vocatur, *Breviario*, quale ALARICUS Veso-

(*) Ad Leges Majestatis, sive Perduellionis Libri duo, quos cum illustri DE LUDEWIG, multisque aliis hæcenus ignorabam, extant in *Jurispr. Romanâ & Atticâ Tom. 1. pag. 944.* Sic dies diem docet, quod palam fateri minimè erubesco.

(**) Regalium.

Vesogothorum Rex Tholofæ olim edidit, ne *Biturix* quidem ille negaverit. Sed neque dissimulo, quædam in eâ tam acerbè scripta esse tantùm ad terrorem, quorum nulla esset executio: ut SYMMACHUS *Libro primo Epistolarum*, & SOZOMENUS *Libro septimo, Capite duodecimo* admonent; sæpe multa severissimè edixisse THEODOSIUM ad terrorem tantùm, & comminationem quandam.

Hic verò quia in hunc sermonem incidi, juvat adscribere quippiam ridiculum, quod non erit alienum à re propositâ. Narrabat hesternò die mihi amicus quidam meus, quendam vicinum suum, non jam dicam Canonistam, quia nimis jam tritum & vetus hoc verbum est, sed, ut elegantius jam dici ille vult, Canonicolam, ex juris decoctorum abortivo genere, qui, cum fortè audisset, *ad d. l. Quisquis*, alludere atque accedere, quod scriptum est in *Capite, sc. quis XXII, quest. 5.* & in ejus capituli inscriptione, ut erat lusciosus, legisset *Augusti pro Augustini*, declamavit triumphans, in *Decreto*, ut loquebatur, allegari *Edicta AUGUSTI CÆSARIS*, ut in *Evangelio*. Quid elegantius, subtilius, acutius dici potuit ab insulso utriusque juris præcone? Sed cum, qui hoc mihi narrabat, jussisset talem pecudem in suo stabulo, si non fœnum, at certè paleam suam esse, miratus, tam fungos ullos esse homines posse, qui in ejus auditorio sedere possent, rogavit feriò, ecquid sentirem

de illo, quod in GRATIANI farragine legebatur, & nunc sæpe laudabatur, capite.

Ego respondi, ne quidem AUGUSTINI illud mihi esse videri: tametsi & in GRATIANI libro, quem nuper *Plantinus* excudit, emendatum ab homine alioqui non indocto, etiamnum AUGUSTINO adscribatur. Vellem equidem, esset AUGUSTINI; ut opportunè dicere possem, id in Africanâ Ecclesiâ decretum esse eodem tempore, quo in Oriente non dissimilis lex ferebatur *d. l. quisquis*, & illud quidem adversus Gildonianam factionem, ut hæc adversus Rufinianam. Sed ubi AUGUSTINI libros omnes legi, nihil reperi tale: & inscriptionem illius *capitis* propterea mendosam esse sensi, sicuti & mentio Regis indicat, non esse AUGUSTINI, & verba significant esse potius Canonem cujusdam Concilii. Cùm autem sollicitè quærerem, cujus potissimum Concilii esse posset, commodè venit in mentem, quòd annis post mortem AUGUSTINI ducentis decretum fuit in Concilio Toletano quarto, non dissimili formulâ, magnâque cum majestate, adversus perduelles Principum suorum hostes. Et quidem illi Synodo, quæ id unum potissimum egit, primo loco subscripsisse Narbonensem Archiepiscopum, in actis legimus: ne quis nunc dicat, Hispanicam modò, non etiam Gallicam fuisse Synodum, quæ tam diligenter cavere voluit Majestati, vitæ, capiti, & salutis suorum Regum: sed & in Concilio Toletano

A
Toletano
de quo l
Patres lo
bus conf
to cautur
ciliis rep
cuit non
legitimo
duellum
obstringer
morabile e
pres Demo
notat, Athe
in quâ age
plum Eum
derentve l
rent vind
primo de
sæpe judic
que esse fa
trices Fur
dentibus, i
salutis, sed
atu. Et v
habita in
tam Arcadi
imprin
militum,
saluten
Honorii,

*) Cap. 14.

Toletano decimo repetitum est, Canonem, de quo loquor, sanctionem esse, quæ, ut illi Patres loquuntur, cum legalibus institutionibus consentiat: & in Concilio Toletano quinto cautum fuit, ut illa in omnibus deinde Conciliis repeteretur. Non temerè est, quod placuit non modò præsentì pœnâ, & supplicio legitimo deterreri, reprimique audaciam perduellium, sed & alio terrore divinæ ultionis obstringendas eorum conscientias esse: & memorabile est, quod ULPIANUS Græcus interpres Demostenicæ Orationis in Midiam, annotat, Athenis propè Curiam Areopageticam, in quâ agebantur causæ capitales, fuisse templum Eumenidum: ut, si qui effugerent, eluderentve hominum judicium, at saltem sentirent vindices Furias: sicuti & CICERO *Libro primo de legibus* (*) cum conquestus esset, sæpe judicia nulla esse, aut si sunt, plerumque esse falsa, adjicit, semper tamen adesse ultrices Furias, ut sceleratos torqueant, *non ardentibus*, inquit, *tædis*, ut est in *Poëtarum fabulis*, sed *angore conscientie, fraudisque cruciatu*. Et verò ipse AMBROSIIUS in suâ Oratione habitâ in funere THEODOSII, paulò ante, quàm Arcadiana lex lata esset, terrorem, quem dixi, imprimis incutit. Nam posteaquam fidei militum, & Ducum Aulicorum commendavit salutem juniorum Principum ARCADII, & HONORII, tandem intonat illud: *Maximum,*

M 4

Ἔ

(*) *Cap. 14.*

& Eugenium tyrannos miserabili exemplo apud
 inferos testari, quàm durum sit arma suis Prin-
 cipibus irrogare. Sic PACATUS in Panegyrico,
 vivo THEODOSIO, ostendens præsentem Ma-
 ximi illius cædem, exclamat, tale exemplum
 inspiciendum ei esse, qui imitari Maximum
 instituerit. Sed cùm, mortuo THEODOSIO vin-
 dice, videret AMBROSIVS, talem vindictam mi-
 nùs jam reformidari, saltem proponit alterum
 terrorem divinæ ultionis: quo tamen, cùm
 paulò post Rufinus reprimi non potuerit, quin
 suo ARCADIO infidiaretur, factum est statim
 militum fidelium præsidio, & manu, ut Ru-
 finus ille pœnas dederit, quas Maximus, &
 Eugenius.

Ergo non temerè est, quod fateor, cum
 lege Arcadianâ recte conjungi Canonem Tole-
 ranum, qui fulminando adversùs suorum
 Principum parridas, vel perduelles infidia-
 tores, graviter inculcat divinam illam sanctio-
 nem, quæ non obscure ostendit, quàm in-
 violabilis, & sacrosancta sit Regum Majestas.
 Videbant Patres illi Toletani cum suo opti-
 mo Rege SISENANDO, quanta tunc esset Bar-
 barorum audacia, & infidelitas, & præter-
 tim Gothorum adversùs Principes suos in
 Hispaniâ. Nam & AMMONIVS Rerum Fran-
 cicarum scriptor antiquus, *Libro secundo,*
Capite vigesimo testis est, Gothos illos vitium
 hoc, ut ait, in consuetudinem vertisse, ut,
 si,

si, Rex iis displiceret, statim eum interimerent.

Quámque verum id fuerit, etiam ostendit RODERICUS TOLETANUS *Hispanicæ Historiæ Libro tertio, Capite vigesimo*. Ergo illo sæculo attoniti Reges Hispaniæ in tali, tantoque periculo confugerunt ad præsidium Ecclesiæ. Hæc verò, cui alia arma deerant, & quæ simul videbat ferocem populum vix ullâ lege reprimi, aut legitimâ pœnâ deterreri posse, judicavit, illud superesse, ut conscientiæ aliquo terrore, & religione constringerentur, ipsâsque etiam manus talis metus constringeret. Itaque in Concilio Toletano, quantâ fieri maximâ potuit, gravitate, de divino judicio Episcopi verba faciunt, & quænam post hanc quoque vitam ultio maneat perduelles, exponunt, & terribile propterea iis anathema denuntiant, qui impias manus inferrent suis Regibus. Denique jubent hoc veluti fulmen sonare, sæpiusque tonare in Ecclesiasticis Concionibus ad populum deterrendum, & obstringendum quodam veluti exemplo illius devotionis, & stipulationis, quod Tonitru Christianorum vocatum fuisse scribit BEATUS HIERONYMUS *in Epistola ad Galatas*.

Denique & in Conciliis sæpe id repeti, & exaggerari placuit, ut & factum fuit in Concilio Toletano sexto, ubi etiam quodam

veluti exemplo legis civilis, & *Senatus consulti Siliani*, damnandos quoque esse Regum successores, qui cæsorum mortem non vindicarent, placuit. Neque verò inanis fuit Toletana illa cautio, sanctiôque. Nam per eam factum esse videtur, quod narrat *RODERICUS Libro secundo, Capite vigesimo primo*, ut eo tempore ab omni perturbatione, sicuti loquitur, ad eò quiesceret Hispania, *ut nullus in ea infidelis*, utor verbis Roderici, *inveniretur, qui arma sumeret ad rebellandum. Imò res eò evasit, ut jam crederetur, inexpiabile esse hoc crimen, vel si Rex veniam dedisset: & propterea dubitaretur, num in Ecclesia pœnitentes perduelles, qui veniam à Rege impetrassent, pacem, ut vocant, & jus sacræ communionis impetrare possent: proptereaque fuerit necesse, ut in Toletano Concilio definiretur, posse. Illud interea minimè prætereundum est, Patres Toletanos, posteaquam de obsequio, & fide subditorum, ut appellantur quam ii debent suis Regibus, diligenter & graviter locuti sunt, admonuisse vicissim ipsos quoque Reges sui officii, ut cum pietate, & justitiâ regnent: quæ certè optima est cautio, ratiôque continendi populi. Vetus enim & illud: *ut ameris, amabilis esto*. Et ineptum esse videtur, de unius modò partis, non etiam de alterius officio agere: cùmque de corporis perpetuo obsequio multa dixeris, nullum verbum facere de justo capitis imperio. Certè inter
 popu-*

populum, & Principem est quædam, ut Nostri loquuntur, ultro, citroque obligatio: ut & inter Vasallum, & Dominum dicitur esse fides reciproca, & quoddam conjugium, ut in *Libris Feudalibus* appellatur. Nam & olim, Lege Romanâ, erat inter clientem, & patronum mutua quædam debitorum officiorum ratio: scriptumque propterea in *duodecim Tabulis* fuit: *Patronus, si clienti fecerit fraudem, sacer esto.*





IN EUMENII ORATIONEM.

DE EUMENIO, quamvis ejus fiat mentio in historiis Collectaneis SUIDÆ, pauca ex aliis Scriptoribus habeo, quæ dicam. Sed ipse de se ipso dicit satis multa in hac *Oratione*: & ut plura de eo dici possint, adjicio, eum præterea mihi videri auctorem trium, quos BEATUS RHEENANUS ἀνωρυμῶς (*) edidit, Panegyricorum: dico illius, qui MAXIMIANO Augusto dictus est, & incipit: *Si mihi Cæsar*, & duorum, qui Imperatori CONSTANTINO dicti sunt in urbe Treverorum, hoc est, illius, qui incipit, *Facerem, sacratissime Imperator*, & alterius, qui Flavienfium nomine dictus est, & incipit: *Si Flavia*.

Conferantur illæ Orationes cum hâc, & esse ejusdem Scriptoris, phrasis, resque ostendet, atque adedò commendatio ejusdem civitatis, quam ille patriam suam vocat. Nam Heduum se fuisse, non dissimulat, atque ita Belgam: ut LATINUS PACATUS erat Aquitanus: & tamen uterque Gallus. Sed EUMENIUS multò antiquior. Nam hic sub CONSTANTIO Cæsare, CONSTANTINI patre, PACATUS verò sub THEODOSIO floruit in Galliâ. Interfunt ergo anni saltem octoaginta.

Fuit

(*) Sine Authoris nomine.

Fuit autem EUMENIUS talis, tantusque Professor artis, ut vocat, Oratoriæ, ut & ejus auditorium, jurisprudentiæ auditorium esset, & ex eo, tanquam ex equo Trojano, quod de ISOCRATIS ludo dixit olim CICERO, prodirent præclari tanquam Heroës ad Rempublicam gubernandam, ut intelligi potest ex fine *Panegyrici*, qui incipit: *Facerem*. Et licet abhorrerit à litibus, & causarum actionibus, à quibus abhorrent viri boni, atque ab illo sordido strepitu, & pulvere fori, ut fatetur principio hujus *Actionis*, tamen indicat etiam se se majoribus in rebus in Aulâ, & Palatio CONSTANTII, Reipublicæ operam dedisse: ne quis eum in umbrâ scholæ Rhetoricæ consensuisse putet. Et licet non fuerit ex scholâ Agentium in rebus, ut ejus temporis Leges loquuntur, tamen, quod magis laudo, militavit in literarum præfidiis, ut loquitur *l. 1. C. Tb. de proximis Comitibus disposit*. Nam testatur, se se fuisse Magistrum sacræ memoriæ: ut PAPIANUM, ULPIANUM, & similes Jurisconsultos legimus olim fuisse Magistros Libellorum. Magistros autem sacræ memoriæ, qui & Memoriales dicebantur, præfuisse Libellis, & epistolis, & peragendis, implendis, signandisque rescriptis, & responsis sacris, id est, Principibus, intelligi potest ex *l. eos, qui C. de excusat. muner. § l. 2. C. de petit. bon. sublat*. In *Epistola quinquagesima quinta* DIOSCORI ad AUGUSTINUM lego istud: *Zenobius Magister memoria factus est*. Memini etiam, me legisse apud

MARCELLINUM *Libro vigesimo septimo* de quodam *Rustico Juliano*, qui, cum Magister memoriæ esset, à Gallis ad Imperium poscebatur, decumbente VALENTINIANO.

EUMENIUS dicitur hanc Orationem habuisse coram V. P. Præside Galliarum. Notas illas V. P. significare virum perfectissimum, satis notum est. Fuit autem hic titulus dignitatis, quæ & *Perfectissimatus* eo sæculo dicebatur: ut de eo extat CONSTANTINI Constitutio *l. 1. C. de Perfectissimatus dignitate* Atque ita etiam Præsides Arabiæ dicitur Perfectissimus *l. 4. C. Th. de pænis*, & de pluribus Perfectissimis, qui militabant in sacris Scriniis, extat *l. 7. C. de Palatinis sacrarum largitionem*. Et huc alludit LACTANTIUS *Libro quinto, Capite decimo quinto*. Nemo, inquit, perfectissimus, nisi qui omnes gradus impleverit: ut & eodem tempore CONSTANTINUS dicebat eos Codicillis Perfectissimatûs fruituros, qui impetrauerint, si abhorreant à conditione servili, nec sibi honorem venali suffragio emerint, *l. 1. C. de Perfectissimatûs dignitate*.

Principium Orationis Eumenianæ sumptum esse ex exordio Ciceroniano de *Lege Manilia*, & ejus, quæ inscribitur, *Divinatio*, literatus Lector, etiam me tacente, facile sentiet. Sed magis nova, & insolens est hæc, quæ cum quâdam gratiarum actione laudat sacram largitionem salarii, & eam ipsam, qui accepit, scholis instaurandis rependi vult, & id ut fiat, petit.

Cur

Expul

CUR EUMENIUS Augustodunenses scholas appellet *Menianas*, quia obscura, & ignota est loci appellatio, frustra quæsiero. Scimus alioqui, *Meniana* vocari projectiones quasdam in ædificiis, de quibus est HONORII Constitutio *L. Meniana C. de ædificiis privatis*. Et MARCELLINUS *Libro vigesimo septimo*, ait, priscis Legibus verita fuisse Romæ ædificari. Fortasse scholæ, de quibus agit EUMENIUS, habebant ejus generis ἐξωσάς. (*)

Principio autem, quàm EUMENIUS historiam delibat suæ civitatis Hæduorum, si quis eam magis exponi, & illustrari vult, legat alterum EUMENII *Panegyricum pro Flaviensibus*: sicuti & quod postea attingit de subactâ Bataviâ, & recuperatâ Britannîâ, Francis profligatis, copiosius exponit in aliis duobus Panegyricis, altero ad MAXIMIANUM, qui incipit: *Si mihi Cæsar*, altero ad CONSTANTINUM, qui incipit: *Facerem*. Ac quidem, qui eos legerit, de Francis illis primis leget, quod aliunde repetere non posset. Ego quia aliò propero, satis esse existimo, locum indicasse. Illud modò admoneo in hac Oratione, ubi scriptum est, *Britanniam Pænorum gurgite liberatam esse*, suspicari me *Pictos* potius, quàm *Pænos* legi debere: ut & in alio Panegyrico, qui incipit: *Si mihi*, EUMENIUS ait, Britannos assuetos fuisse *Pictis*, & Hibernis hostibus. Sed & paulò post, ubi scriptum est *veritate Francorum*, nemo

(*) Expultrices.

mo dubitat, esse mendum: proptereaque restitui feritate; sic truce[m] Francum ferina carne distentum, legimus in Panegyrico ad CONSTANTINUM, qui incipit: *Unde mihi*. Sic in alio, qui incipit: *Facerem*, EUMENIUS ait, Francos à CONSTANTIO esse coactos non solum arma, sed & feritatem ponere; sed & Gallias priorum temporum injuriis efferatas, in altero ad MAXIMIANUM, qui incipit: *dixerunt*. Dicitur alioqui de Francis Galliam profectis, quod LIVIUS *Libro quadragesimo octavo* de Gallis in Asiam: *Duratos*, inquit, *tot malis, exasperatosque suscepit terra, quæ copia rerum, omnium saginaret: uberrimo agro, mitissimo cælo, clementibus accolarum ingeniis, omnis illa, cum qua venerant, mansuefacta est feritas*. Sed quis mihi explicabit, quid sit, & quid sibi velit, quod CEDRENIUS, ubi de Imperatore LEONE ISAURO loquitur, hoc est annis saltè[m] septingentis post EUMENIUM, ait Francos appellari *Τριχοχάρατες!* (*) qui gloriantur in Galliâ se suarum
anti-

(*) Mortuo BALDUINO HOTOMANUS in *Franco-Galliâ Cap. XI.* hac de re ita disseruit: Quod cum ita esset, animadvertimus, exteros, qui animo in nostros inimico essent, reges capillatos, non modò contumelioso nomine setatos appellasse: verum cum setæ leonum, equorum, & suum communes essent (qui omnes propterea setosi, & setigeri appellantur) etiam ad suillas setas nominis contumelium produxisse. Unde & obscæna conficta fabula, & spurcum nomen *τριχοχάρων*:
de

antiquitatum peritos esse, respondeant: ego postea, quid eâ de re sentiam, dicam.

Jam verò, quia quosdam locos in hac Oratione quos emendavi, cepi indicare, ut obiter

de quo *Georg. Cedrenus in histor.* ita scribit: ἐλέγοντο δὲ οἱ ἐκ τῆς γένεως ἐκείνης καταγόμενοι κρισάτοι. Ὁ ἐρμηνεύεται τριχορακάτοι. εἶχον γὰρ κατὰ τῆς ράχους αὐτῶν τρίχας ἐκφυομένας, ὡς χοῖροι: id est, qui regio erant prognati genere, dicebantur Cristati: quod interpretatur, Tergifetosi. Habebant enim in spinâ dorsi pilos enascentes, quasi porci. Quem tamen locum mendosum, ac depravatam esse arbitror: ac pro ΚΡΙΣΤΑΤΟΙ vel reponendum ΣΕΤΑΤΟΙ, vel utrumque certè conjungendum: ut à nonnullis festivè Christati, propter erectum in galeam crinium flocculum; à malevolis etiam contumeliosè setati, vel setigeri appellarentur. Quod si clausulam illam tam apertè Cedrenus non apposuisset, & Cristatorum nomen retinendum fuisset, dicendi potius τριχοχάρακτοι fuissent: ut cuiusvis perspicuuna esse arbitror: pro, crinibus insignis: quanquam totum illum Cedreni locum animadverti jam auctore *Historiæ Miscellæ* ad verbum ita conversum, Lib. XXII. Dicebantur sanè ex genere illo descendere Cristati: quod interpretatur Trichorachati: pilos enim habebant natos in spinâ, veluti porci. Utcunque sit, ne illud quidem prætermittendum videtur, circiter *Caroli Magni* ætatem, consuetudinem quandam increbuisse, ut *Regis filius* ad exterum aliquem Principem amicum, ac fœderatum mitteretur, qui honoris causâ capillos ei præcideret: eoque factò Pater ipsius honorarius diceretur.

obiter emendationis rationem redderem, addo illam imprimis mihi placere, ubi pro *Constantii Principis inventis*, emendavi Principis juventutis. Sic & ONUVERIUS laudat veterem nummum, in quo legitur hæc inscriptio: *M. Valer. sev. Nob. Cæs. Princip. juventut.* Hic verò SEVERUS factus est Cæsar, cum CONSTANTIUS factus est Augustus. Indicat autem ea inscriptio, eo sæculo Cæsares plerumque etiam dictos esse Principes juventutis: Sicuti & duo illi antiqui lapides, Valentiae in Hispania reperi, in quibus HERENNIUS DECIUS, & HOSTILIANUS inscribuntur nobilissimi Cæsares, & Principes juventutis. Sed & præferuntur antiquiores inscriptiones, in quibus Cæsares C. & L. dicuntur Consules designati, & Principes juventutis. Dico Cæsares C. & L. hoc est: CAJUM, & LUCIUM, natos ex M. AGRIPPA, & JULIA AUGUSTI filiâ, adoptatos deinde ab AUGUSTO: sicuti & CORNELIUS TACITUS (*) testis est, TIBERIUM, vivente AUGUSTO, Principem juventutis appellatum esse. Sed eo tunc titulo donabantur adolescentes Cæsares, qui præfuerant ludicro illi certamini armatæ juventutis, quod Trojanum vocabant. Postea verò hic titulus videtur abs illâ ludicrâ ad seriam militiam translatus, ut, quemadmodum Duces olim post insignem aliquam victoriam dicebantur Imperatores, sic & Cæsares dicerentur Principes juventutis.

Quod

(*) *Annal. Lib. I. Cap. 3.*

Quod EUMENIUS ait de *Templo honoris & Virtutis*: constat illud esse, quod M. MARCEL-
 lus extruxit, & de eo jam aliquid dixi in Re-
 latione, sicuti & de Templo *Herculis & Mu-*
sarum, quod paulò post EUMENIUS scribit à
 FULVIO Nobiliore Censore extructum esse in
 Circo Flaminio: nunc dicitur Romæ esse
 Sanctæ LUCIÆ in Apothecis obscuris. OVI-
 DIUS *Libro tertio de arte* (*) hujus templi me-
 minit, cum ait:

Herculis ante oculos, Virgineumque chorum.

& *Libro sexto Fast.* (*)

Dicite Pierides, qui vos addixerit isti,

Cui dedit invictas victa noverca manus.

Quod autem EUMENIUS ait de Amicitia
 Poetæ, ENNIUM intelligit: & quod adjicit de
 Camenarum signis ex Ambraciensi oppido
 translatis, confirmatur à PLINIO, qui *Libro*
trigesimo quinto, Capite decimo ait: FULVIUM
 Nobiliorem ex Ambracia Musas Romam
 transtulisse. LIVIUS *Libro trigesimo octavo* latè
 describit FULVII hujus Consulis bellum adver-
 sùs Etoles, & Ambracienses: & quidem nar-
 rat FULVIUM ab iis accusatum esse, quod tem-
 pla eorum spoliasset, & simulacra omnia ave-
 xisset:

N 2

(*) §. 168.

(**) §. 799.

xisset: sed Senatū respondisse, de his ad Collegium Pontificum referendum esse. Ubi in EUMENIO legebatur *utriusque latè numeris*, non dubito rectè à nostro *Delbenio* emendatum: *numinis*.

Ubi autem EUMENIUS ait, *Salarium quantum ad honorem attinet, adæratum accipio*, vox ista, *adæratum* mihi suspecta est, mallem *oblatum*, quod mavult noster *Delbenius*, vel si propiùs accedendum est ad veterem lectionem, videamus, num potiùs *adæratum* scribi debeat; ut postea numeratam Pecuniam vocat EUMENIUS. Plerùmque salaria erant annona: adærari autem dicebantur, cum pro iis pecunia numerabatur. Sic Lex HONORII jubet annonas, quæ Ministerianis militantibus in sacris Scriniis, & universis officiis dignitatum debentur, adærari, exemplo militum, quibus ærariæ præbentur annonæ. *L. annonas C. de erogat. milit annon.*

Venio ad sacras literas CONSTANTII, de quibus potissimùm hic agitur. Adscribo eas CONSTANTIO Cæsari: tametsi non dubitem præ se tulisse etiam nomen Imperatoris DIOCLETIANI, & MAXIMIANI A. A. Est autem Rescriptum imprimis dignum, quod in Codicem Theodosianum, vel Justinianæum relatum fuisset, neque minus in eo beneficium Gallia sensit, quàm cum CONSTANTII pietatem in DIOCLETIANI, & MAXIMIANI sævitiâ, adversus Ecclesiam excitatâ eludendâ, & reprimendâ sensit.

Quo-

Quomoc
difficillim
Libro pr
fecisse i
OPTATU
CONSTAN
inter cet
cut, &
Sed
tum, in
Augusto C
pro vitâ se
hic laudat
Christum
rum scio
non ignot
potius se
nim agit
Augustodun
nos esse
allarunt Fla
et EUMENII
il factum v
dipicor, c
Augusto oppi
suis sum:
m mendosè
zido, quod
eam olim
operam

(*) Cap.

Quomodo CONSTANTIUS in suâ Britannîâ, quod difficillimum erat, fecerit, indicat EUSEBIUS *Libro primo de vitâ Constantini*. Idem eum fecisse in suâ Galliâ existimo. Nam & apud OPTATUM *Libro primo Libellus Donatistarum* CONSTANTINO oblatus, Tuus, inquit, pater inter ceteros Imperatores persecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis est Gallia.

Sed audiamus ejus de re literariâ rescriptum, in quo ubi legebatur: *Quorum vitia in Augusto Cliviensium oppido*, mendosè vitia pro vitâ scriptum erat. Nam & paulò post hic laudatur studium vitæ melioris. Sed quod *Cliviensium* scriptum est, etsi oppidi Cliverum scio veteres meminisse, & nunc quoque non ignobile nomen ejus est, tamen dixerim potius scribendum esse *Flaviensium*. Hic enim agitur de Augusto oppido, id est, de Augustoduno Heduorum, Heduos autem vocatos esse Flavienses, ut Augustodunum appellarunt Flaviam à FLAVIO CONSTANTINO, alter EUMENII Panegyricus testis est. Sed quia id factum videtur post tempora CONSTANTII: suspicor, cum hic scriptum simpliciter esset, *Augusto oppido*, quendam in margine addidisse *Flaviensium*: quod deinde in contextu irrepserit mendosè *Cliviensium*. De Augustoduno addo, quod TACITUS *Libro tertio* (*) scribit, etiam olim nobilissimam sobolem Galliarum illic operam dedisse studiis liberalibus. Paulò

N 3

post

(*) Cap. 43.

post lego : *meum comitatum* : RHENANUS antea excuderat *meum Constantii Cæsaris ex Italiâ revertentis Comitatum*. Sed hæc verba *Constantii Cæsaris ex Italiâ revertentis*, videntur irrepsisse ex margine, cum quidam annotasset : *meum Comitatum*. Est enim CONSTANTII hoc rescriptum, tametsi communicetur etiam, ut tunc moris erat, ipsis Augustis DIOCLETIANO, & MAXIMIANO, quorum quidem ille *Jovius*, hic *Herculius* dicebatur : ut notum est. Ut autem hic aliquid redundat, sic paulò post in hoc rescripto aliquid deest post verbum : *meritis tuis*. Quid si suppleas *præmium*, vel *pretium*? Ita conjicit noster *Delbenius* adolescens eruditus.

Sequitur, *Salavium ex sexcentis millibus nummum ex Reipublicæ vivibus*. Sic etiam paulò ante locutus est EUMENIUS : nec pro *viribus* suppono, ut quidam volunt, *juribus*. Exstat Imperatoris CONSTANTII, qui nepos hujus nostri CONSTANTII fuit, Lex. l. i. C. de præbend. *Salav.* *Nulli Salavium tribuatur ex vivibus Reipublicæ, nisi ei, qui jubentibus nobis, specialiter fuerit consecutus*. Quæ autem hic vocantur sexcenta millia nummum, paulò ante EUMENIUS dixit *Tercena sestertia geminari*, & paulò post *sexcenta sestertia* : ut jam minùs laborare BUDÆUS debeat, ut probet, & persuadeat, sexcenta sestertia esse sexcenta millia nummorum sestertiorum. Sed cum immensa hæc summa sit (æstimatur enim duodecim millibus aureorum nostrorum) tantum salarii datum esse

(*) In vitâ
(**) Cap.
(***) Cap.
(****) D

esse EUMENIO non temerè mirari possumus. Ergo ALCIATUS noster in suis Parergis interpretatur *accipere in sexcentis* esse accipere annum reditum, qui confici poterit ex eâ summâ, si fœnori detur: ut centesima usura ejus summæ redderet quot annis mille, & octingentos aureos. Atqui EUMENIUS dicit sibi deferri sexcenta, ut antea tercena: ergo annua intelligit. Sanè VESPASIANUS, quantumvis avarus esset, tamen primus fuit, qui, ut ait SÆTONTIUS (*) è fisco suo jussit Græcis, Latinisque Rhetoribus dari centena annua. Idem SÆTONTIUS in *Libro de Clar. Grammat.* (**) scribit, temporibus AUGUSTI, *Verrium Flaccum* Grammaticum accepisse in annum sestertia centena. Et ut CAPITOLINUS (***) scribit, Imperatorem ANTONINUM PIUM per omnes provincias Professoribus annua stipendia dari voluisse; sic LUCIANUS in *Eunucho* ait, eum cujusvis sectæ primoribus, etiam Philosophis dedisse annuas *μογίας δραχμάς*. (****)

Sed jam addo, ipsum CONSTANTINUM Patris hujus sui exemplo commotum fuisse videri, cum ita ediceret: *Salaria Professoribus reddi jubemus, quò facilius liberalibus studiis multos instituant. L. medicos C. de Professoribus.* Observo autem ex subscriptione, Le-

N 4

gem

(*) *In vitâ Vespasian. Cap. 18.*

(**) *Cap. 17.*

(***) *Cap. 11.*

(****) *Decem mille drachmas.*

gem illam latam esse in Pannoniâ proximo post victum *Licinium* anno: Nam lata dicitur Sirmii, *Crispo*, & *Constantino* Coss. Tantò autem magis necesse fuit, tunc illam edi, quia *Licinius* ille, qui literarum non minùs, quàm Religionis hostis fuit, studia bona dissipaverat. CONSTANTINUM autem nutriisse artes, studiâ-que literarum, inquit AURELIUS VICTOR (*). Sed tantò miror magis, & indignè fero, quod in Chronico EUSEBII lego, LACTANTIUM, qui & *Crispum Constantini filium* erudierat, virum eloquentissimum, adeò pauperem fuisse, ut etiam necessariis, sicuti ibi scriptum est, indigerit: & cùm Nicomediæ literas doceret, ab Auditoribus desertum fuisse.

Ut prima pars hujus Orationis ostendit, admirabilem fuisse CONSTANTII liberalitatem ad studia excitanda, sic pars altera testatur admirabiliorem etiam fuisse ipsius EUMENII. Valeat *Gergias* ille *Leontinus*, qui ex quæstu professionis suæ Oratoriæ statuam auream, eamque solidam sibi posuit in Templo Delphico. An non illa fuit illustrior, nobiliorque statua, quam EUMENIUS instaurando, atollendoque eruditum auditorium non sibi modo, sed & patriæ, & Reipublicæ, & posteritati posuit?

Si quis jam quærat de successu, & exitu actionis Eumenianæ: equidem vix audeo jactare, tam diu & stetisse, & floruisse Menianum

(*) In Epit. de Casar. Cap. 41.

num illud auditorium, quàm vellem, cùm lego EUMENII ipsius ad CONSTANTINUM Panegyricum, nomine *Flaviensium* editum, hoc est, Augustodunensium Heduorum. Ex quo facilè conjicio novas tunc ruinas, & calamitates illius urbis propè desertæ. Memini etiam, quod MARCELLINUS *Libro decimo sexto* scribit: Imperatorem JULIANUM vidisse Augustoduni civitatis antiquæ muros spatiosi quidem ambitûs, sed carie vetustatis invalidos, Barbarorum repentino impetu inessos. Sed tamen Gallia propterea non desit alias habere frequentes, & bene cultas eo sæculo scholas. Testis est AUSONII *Libellus de Professoribus Burdegalensibus, Tholosanis, Narbonensibus*: ubi & de *Tiberii Victoris Minervii* cathedrâ Burdegalensi lego illud:

Mille foro dedit hæc juvenes, bis mille Senatus

Adjecit numero, purpureisque Togis,

Me quoque.

Ergò & AUSONII discipulus Imperator GRATIANUS, primis sui Imperii annis edixit, ad *Antonium P. P. Galliarum*, ut in singulis Galliae Metropolitibus præficerentur egregii Professores erudiendæ juventuti, quibus & annonarum emolumenta liberaliter præbeantur. *L. per omnem C. Th. de Professoribus.* Necdum tamen audeo affirmare, EUMENII scholam tali constitutione rursus instauratam atque restitu-

tam fuisse. Et memini, quid AUSONIUS in *Panegyrico ad Gratianum* significet de Municipali, ut vocat, scholâ, Visuntionensi, atque Lugdunensi. Equidem anno superiori cum Sequanos, & in itinere Heduos inviserem, cum Augustodunensium ruinarum vetera rudera, quæ in viâ spectabam, fecere, ut de hac EUMENII oratione cogitarem, deque fati, & conditione Civilium studiorum, tum verò Visuntio Sequanorum fecit, facitque, ut magis, atque magis sentiam, quidnam hoc sit. Equidem cum ibi essem, docebam rerum suarum imperitos, quod memineram ante annos quadringentos ibi decrevisse Imperatorem FRIDERICUM ÆNOBARBUM, & cum ex curiâ Sequanorum in Italiam venisset, edixisse, quod ibi conceperat, dico, non modò suas de feudis Leges novas, & constitutionem de pace publicâ, cujus portio quædam est *lex de sacramentis puberum*, quæ postea inserta est Codici: sed etiam nobilissimam illam, quam ipse in Codicem referri iussit, constitutionem de scholis juris, & earum privilegiis, hoc est, *Authent. Habitâ: C. ne fil. pro pat.* quam quidem juvabat cum CONSTANTII literis Eumenianis conjungere. Sed redeat cum FRIDERICO CONSTANTIIUS, ut rursus sua decreta sanciant. Quid dicam, quod MARCELLINUS *Libro trigesimo* scripsit paulò post tempora CONSTANTII, in Oriente Juris scientiam professos, fuisse veluti umbras mutas? Tolerabilius id tamen fortasse fuit, quàm quod adjicit, fuisse & larvas ita rudes,

ut

ut nunquam se Codices habuisse meminerint, & si veteris Auctoris nomen incidisset, piscis, aut edulii peregrinum esse vocabulum arbitrarentur. Quid si vel CONSTANTIUS, vel EUMENIUS in suis Menianis, vel in majori Galliae metropoli tales vidisset? An eorum professione passus fuisset Jurisprudentiam infamari? An iis ejectis, doctos non revocasset? An illos pœnâ, hos præmio non affecisset?

Hic ego pro coronide instituebam, ad Leges de professoribus justum Commentarium pertexere. Sed horum scholiorum tenuitas eum non capit. Et verò, quid eas leges nunc frustra appellem, ubi inanis earum vox, nullusque vindex est? Jacent ergo illæ, si non mutæ, at certè contemptæ in pulvere auditoriorum: ut & jam pridem desit honos artes alere. Imò hanc injuriam Jurisprudentiæ faciunt, quos minimè omnium oportebat. Scio quandam esse quorundam indignissimorum hominum, qui Professores juris dici volunt, sed quos tanquam moriones ipsa subsellia derident, ipsique parietes averfantur, fecem & colluvionem, quæ indignissima sit ullo vel honore, vel honorario: & sit eo contemptu, in quo jacet, dignissima. Sed cur non abigitur? Cur impunè interea suis sordibus contaminat, suæque infamiâ inquinat scholas juris? Cur & qui esse, & quo loco esse non debent, tolerantur adversus leges? Cur aliis interea, in quorum fraudem id fit, fit

fit injuria? Conqueror bonis eripi præmia, quæ leges deferunt. Sed scio, quod SIDONIUS APPOLLINARIS Gallus *Libro tertio Epistolarum*, loquens de miseriâ Galliæ sui temporis, olim scripsit: *Respublica* (inquit) *in extrema hæc miseriarum defluxit, ut studiosus sui non remuneretur.* Miratur quidem SIDONIUS, cum desint præmia rectè factorum, non desse tamen in Galliâ facta præclara, & esse semper quosdam, qui nihilo minùs bene merentur de ingrâtâ Republicâ, quæ, ut loquitur, moratur beneficia, quæ illi merentur. Sed tales neque multos, neque, si qui sint, diu futuros esse existimo.

